

~~5. 17. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-48

SIGNAT. CLIBCCCXIII.

DISPUTATIO

e)

DE MAIESTATE
HOMINIS CHRISTI,
STI.

IN ACADEMIA INGOLSTADIANA per Theses explicata, aduersus IACOBI ANDREAE Theses, de hac eadem hominis Christi Maiestate, Tubingæ propositas publiceque defensas.



INGOLSTADII,
Calendis Iulij.

Salutis Anno M. D. LXIII.

THESES EXPLICATAE TORIAE DE MAIESTATE Hominis Christi.

I.



VM omnis hæc de Maiestate hominis Christi Disputatio ex hypostatica duarum naturarum in Christo unione peti debeat & intelligi, res ipsa postulare uidetur, ut ante omnia discrimen, quod inter hypostasim & naturam intercedit, hoc loco repetamus & animaduertamus. Quod sanè discrimen si negligatur, non minus erit nobis periculi, quàm plerisque accidit in illo ueterum Hæresiarum albo, qui inter hypostasim & οὐσίαν non distinguentes, in uarios, eosque pudendos & impios errores impegerunt.

Eusebius H. E. lib. 10. cap. 29.
Theodoretus contra Sabellium.
Damasc. lib. 3. cap. 3.
Boetius in lib. de duabus naturis.
S. Maximus in quadam oratione.
Anastasius Monachus Sinai,

2. Sic Arriani, dum ex personarum Trinitate, naturarum Trinitatem inferunt: Filium à Patre, & Spiritum sanctum ab utroque ετεροούσιον astruunt. Ediuerso Sabelliani quoniam ex una τριάδι οὐσίαν unam subinde hypostasim colligunt, non solum Filium, sed & Patrem & Spiritum sanctum incarnatos ac passos esse confingunt. Sic & Nestoriani, dum ex duabus Christi naturis duas in Christo hypostases faciunt, non καθ' ὑπόστασιν, sed κατὰ συμβεβηκός Deum cum homine coniungunt. Contra uero, Eutychiani, dum ex una Christi hypostasi

A 2 unam

unam quoque naturam deducunt, unam tantum
 $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha\mu$ quemadmodum & unam personam in Chri-
sto Domino constituunt atque definiunt.

3. Nec sane dissimilis fuit Monothelitarum ins-
citia, qui dum unam duntaxat in Christo perso-
nam contra Nestorium: duas uero naturas, contra
Eutychetem recte profitentur: rati tamen, ad pers-
onae unitatem, proprietatis quoque & operationis
unitatem esse necessariam, quod Nestorij haeresin
declinent, unam tantum utriusque naturae proprie-
tatem atque operationem, ob personae unitatem in
Christo constituunt, atque ita utriusque naturae pro-
prietates non minus imperite quam impie con-
fundunt.

4. Quamuis uero natura, substantia, essentia seu
 $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$ (quae promiscue in hac tractatione, ueterum
more, passim usurpabimus) uarias fortiantur si-
gnificationes, si quis exacte nomina peruestiget,
hic tamen pro eo sumuntur, quod definitione, qua,
quid res est, explicatur, comprehenditur.

5. Natura itaque seu $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$ ab hypostasi, quam La-
tini Theologi personae uel subsistentis nomine so-
lent appellare, eodem distinguitur, quod natura solam
rei quidditatem complectitur, quae ex se quidem
multis indiuiduis est communis, totamque $\delta\upsilon\sigma\iota\omega\delta\eta$
singulorum perfectionem continet, cuiusmodi est
humanitas. Hypostasis uero dicitur indiuiduum,
quod a caeteris omnibus eiusdem naturae singulari-
bus, quadam proprietate discretum, ita per se &
in se

Hiero. in Sym.
explanat. ad
Damascum.
Basiliius contra
Eunomium
Theodoretus
contra Sabelli-
um.
Damascenus
lib 3 c. 3 & 4.
Euseb. H. E. li
1. c. 29.
Talsius Heca-
ton. 4.
Anselmus de
incarnat. uerbi
c. 5 & c.

in se existit, ut nulla ratione in altero sustentetur, aut sustentari queat, ut Petrus, Iohannes &c.

6. Vbi ne uocum ὁμωνυμια generet obscuritatem, accurate discernendum est inter eas proprietates, quas προσωπικαε, & eas, quas δυσιωδαιεε uocant. Nam in explicatione personæ, non de essentialibus, sed de personalibus locuti sumus.

7. Ex hac porro distinctione id comprimis manifestum euadit, qua nam ratione, unam quidem δυσιωδαιεε contra Arrhium, & tres hypostasēs contra Sabellium in sacrosancta Triade profiteamur: eo nimirum, quod una tantum eademq̄ simplicissima in augustissimo illo Trinitatis mysterio communis essentia reperiatur, quæ totam in se deitatis continet perfectionem: Tres uero proprietates personales, quibus tres personæ constituuntur ac inter sese distinguuntur.

Con. Nicen.
Constantino. 1.
Ephesi 1. Chal-
ce. Constan. 2.
& 3. Nicen 2.
Laterana gene-
ral. &c.

8. Veruntamen sanctissimæ Trinitatis sacramentum planè est incomparabile, adeoq̄ rerum naturam, omnemq̄ mentis humanæ, imò & angelicæ capacitatē in immensum excedit, in eo, quod essentia illa in tribus diuinis personis subsistens, non specie aut sola ratione, una, sicut in creaturis usu uenit, sed una sit penitus atq̄ simplicissima.

Damas lib. 1.
c. 11. &c.

9. Hinc & illud fit perspicuum, aliud esse, quædam in unam eandemq̄ naturam uniri, aliud uero in personæ unitatem coagmentari. Illa siquidem in natura dicimus unita, quæ in una conueniunt δυσιωδαιεε siue id fiat abq̄ ulla concretione, mistione aut

A 3 conuerz

conuersione, ut in diuinis personis inuenitur: siue
sola compositione, ut in hominis ex anima & corpore
constitutione: siue denique intercedente
mixtione aliqua, confusione aut conuersione, ut in
elementorum transmutatione, & mixtorum pro-
ductione accidere constat.

10. At uerò illa in hypostasi unita esse dicimus,
quæ ad eum modum sunt coniuncta, ut eadem
prorsus existant subsistentia: Cuius generis est
animi atq; corporis in uno aliquo homine com-
positio. Præterquam enim, quòd hæc tanquam
partes essentielles ad naturæ unius perfectionem
coëunt, in una quoq; persona connectuntur, cum
una utriq; communis sit subsistentia.

11. Iam uerò ut ad rem ipsam aliquantò propius
accedamus, ueramq; & Catholicam de duarum
naturarum in Christo unione sententiam explicemus:
Credimus in primis, unanimiq; consensu
profitemur Christiani, duas naturas, diuinam, in-
quam, & humanam, in uno Christo hypostaticòs
unitas esse: eam autem unionem ideo cum sancta
& Apostolica Ecclesia hypostaticam seu personalem
appellamus, quòd duæ illæ naturæ secundum
subsistentiam in Christo unitæ sint, ut sacrosanctæ
generales Synodi iam pridem definiere. Sic enim
in Ephesina Synodo decretum est: Carni secundum
subsistentiam unitum est Dei Patris Verbum.
Et in quinta Synodo generali: Sancta uerò
Dei Ecclesia, utriusq; scilicet Nestorij & Euty-
chetis

In epist. ad Ne-
storium & A-
nat. 2.

C. 4

chetis perfidiaꝝ impietatem eiꝯciens, unitionem
Dei Verbi ad carnem secundum compositionem
confitetur, quod est secundum subsistentiam. Et
sequenti Canone: Si quis non confitetur Dei ^{c. 5.}
Verbum carni substantialiter uniri, & propterea
unam eius subsistentiam uel unam personam, &
ita sanctam Chalcedonensem Synodum unam
subsistentiam Domini nostri I E S V Christi con-
fiteri, talis anathema sit. In Decretis etiam Syno-
dalibus Martini Primi sic habetur: Si quis non ^{c. 6.}
confitetur secundum sanctos Patres, propriè &
uerè ex duabus naturis, Deitate & humanitate, se-
cundum subsistentiam unitis, inconfusè & indiuisè
eundem & unum Dominum nostrum I E S V M
Christum esse, sit condemnatus. Et in sexta Syno-
do sic legitur: Afferimus duas eius esse naturas in ^{Art. 7.}
una eius radiantibus subsistentia. Ad eundem sanè
modum cæteræ Synodi & Patres unionem per-
sonalem intellexerunt.

12. Nec ita tamen naturas illas in una hypostasi
unitas existimare decet, quasi ex duabus subsisten-
tijs, humana uidelicet & diuina, tertia coaluerit ali-
qua, quæ partim diuina sit, partim humana: Non ^{c. 5.}
n. adiectionem personæ uel subsistentiæ (ut cum
quinta Synodo loquamur) sancta Trinitas susce-
pit ex incarnato Dei Verbo, sed una est duntaxat
eademq; indiuidua in Christo Domino subsisten-
tia, ipsius nimirum Verbi propria, quæ propter
immensam Verbi perfectionem atq; uirtutem hy-
postati

postaticôs humanam sustentat naturam, quam propria (ut sic dicamus) personalitate destitutam, sibi ascivit atq; coniunxit. Vnde Damascenus: Ipsius Verbi hypostasis, utriusq; naturarum hypostasis existens, nullam insubsistentem esse permittit, neq; alterius esse hypostaseos. Neq; quandoq; quidem huius, quandoq; uerò illius, sed semper utriusq; indiuisibiliter & inseparabiliter est hypostasis: tota huius, & tota illius, impartibiliter & plenissimè. Non enim in propria subsistentia sustentata est Dei Verbi caro, neq; in alia hypostasi facta est, quàm in Dei Verbi hypostasi, sed in ipso sustentata & subsistens potius, neq; secundum propriam subsistens hypostasin facta est. Quare propter neq; insubsistens est, neq; Trinitati superaddit hypostasin. Hæc ille.

Syno Ephe.
Constant. &c.
Alexander.

13. Atq; hinc iam absq; ulla difficultate intelligitur, quanta humanitatis cum diuinitate sit unio. Non enim tanta est, quanta trium personarum in una essentia diuina, neq; tam parua etiam, quàm ea est, quæ in solius gratiæ, gloriæ, uirtutis, autoritatis, dignitatis aut potestatis cõmunicatione consistit, aut quæ alio quouis accidentario modo efficitur. Nam neq; persona, in qua uniuntur, neq; naturæ ipsæ accidens aliquod censerì debent aut possunt.

14. Imò si rem, in qua unio hæc facta est, penitius intueare, haud facilè parem in rerum natura comperies unionem. Etenim diuina illa subsistentia, in qua naturæ conueniunt, si per sese consideretur, res
rum

rum omnium, quæ existere possunt, est simplicissima: quamuis si naturas ipsas unitas spectes, composita quodammodo dici queat, eò quòd in duabus subsistat naturis.

15 Est autem hæc unio usq; adeo singularis, ut nullo prorsus exemplo satis commode explicari queat. Nam licet unio animi cum corpore, ut cætera omittamus, nonnullam cum diuina illa unione affinitatem habere uideatur, & idcirco ad eandem explicandam à sanctis Patribus interdum assumatur, quatenus in utraq; unione duæ res diuersæ in una hypostasi sine ulla mixtione, confusione ac conuersione sustentantur: tamen si rem omnem rectè perpendas, longissimo hæc distant interuallo: animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ sunt essentiæ, sed unius essentiæ partes: diuina uerò & humana natura in Christo, essentiæ sunt, sic integræ atq; perfectæ, ut nulla ratione unam tertiam essentiam absoluere possint.

16 Hæc quibusdam erunt obscura fortasse, sed scitu sanè digna, ut ex hac personalis unionis explanatione confutetur impius Sabellius, & intelligatur non Patrem, qui solus ingenitus est, nec Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioq; procedit, sed solum Filium, Dei uerbum, Deum uerum de Deo uero, genitum, non factum, Patri ὁμοούσιον, in plenitudine temporis hominem factum esse, nobis non modo ὁμοόσιον, sed etiam per omnia similem absq; peccato, eumq; solum pro nobis passum fuisse.

17 Nam etsi una omnino Patris & Filij & Spi-

B ritus

g Athan. in Symb. Syno. Ephie. Cyril. de Incarn. Augutt. tract. 78. super Ioan. Gregorius Na. Epi. ad Celido. Lyrinen. Damas. lib. 3. c. 3. &c.

a Concil. Ephesi in Epist. ad Nestorium. Lateran. Lugd. Floren. Toleran 3. 4. 6. 8. 1. Brach 3. Anglic 2. Hormida Epist. 1. Leo 1. Epist. 91. Athana. sermone de imagine Iesu in Beryto recitato in 7. synodo actio. 4. & in symbolo Hilarius li. 2. de Trinitate Didymus lib 2. de Spiritu sancto. Ambro. li. 1. de Spiritu sancto: c. 10. Basilus contra Eunom. Augusti. lib 15. de Trinit c. 26. Epiph in sermone angyroto &c b Ioan 1. Gal. 4. Heb. 2. 4. Con. Nicenum Constantinop. 1. 2. 3. Ephes 1. Chalcedo. &c.

e Con. Tolet
6. c. 1. Vbi sic
habetur, solus
Filius suscepit
humanitatem
in singularita-
te personæ, id
est, in eo quod
proprium est
Filio, nõ quod
commune est
Trinitati.

Vide Lyrinen-
prope finem,
ubi conuene-
rat Patres, quo-
rum beata illa
Synodus doctri-
nam tenens de
fidei regalis
pronunciavit.

Syn. Ephe 1
Conit 2 Atha.
Symbolo.
August. 1. de
Trin. c. 7.

tus sancti *δουρία* sit & *ἐξουρία*, Maiestas quoque & di-
gnitas, non tamen in essentia, aut quacunque essen-
tiæ perfectione siue essentiali aliqua proprietate,
(quæ omnia toti Trinitati sunt communia) sed in
solius Filij hypostasi, qua à Patre & Spiritu sancto
re ipsa distinguitur, unionem illam factam esse
cuncti in Ecclesia profitentur.

18 Quòd si in sola essentia aut in essentiali aliqua
perfectione unio illa facta fuisset, tota utique Trin-
tas incarnata (quod sentire sit nefas) pari ratione as-
firmaretur: cum essentia quæuis & essentialis per-
fectio in tribus illis personis ex æquo reperiatur.

19 Liquet etiam ex iam dictis insaniuisse Ne-
storium Nestorianique dogmatis sectatores omnes,
contra quos cum Ephesina Synodo aperte profi-
tendum est, non duas Christi personas, aut duos
filios, alterum uidelicet Dei, alterum Virginis Ma-
tris, totidemue Christos, sed unam duntaxat per-
sonam, unum Filium, unumque Christum, qui uer-
us Deus & uerus homo sit, constituendum &
adorandum esse: quia non duas, sed unam tantum-
modo hypostasin in eodem Christo agnoscimus
ac ueneramur.

20 Ex his præterea, confirmamur in Christiana
& necessaria confessione, quàm approbavit sacra
Chalcedonensis Synodus contra Eutychetem, ni-
mirum: Unigenitum Dei filium in duabus natu-
ris inconfuse, inconuertibiliter, indiuisè, insepara-
biliter existere, nunquam sublata differentia natu-
rarum

rarum propter unionem, sed potius salva utriusque naturæ proprietate. Quandoquidem non conuersione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatem, sed assumptione humanitatis in Deum, non confusione, aut transfusione substantiæ, aut unius tertiæ naturæ compositione, sed unitate personæ, siue subsistentiæ, unus est manetque Christus, in duabus subsistens naturis.

Lyrinensis.
Damas. lib. 3. c. 2.
Alcum. lib. 2. de
Trinita. c. 1. &c.

21 a Itaque sicut in Deo una est substantia & tres personæ: ita in Christo una est persona & duæ substantiæ siue naturæ.

2 Lyrin. Dama.
3. lib. c. 5.
Maximus de
duabus Christi
naturis.

22 b Ex quo illud etiam contra Monothelitas euidenti ratione consequitur, ut, quemadmodum in Domino nostro Iesu Christo duas naturas indiuisè inconuertibiliterque unitas esse confitemur, ita & duas proprietates duasque naturales operationes (ut sextæ Synodi uerbis utamur) indiuisè, inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter, in eodem Christo agnoscere debeamus, ac uenerari, alteram uidelicet humanam, alteram uero diuinam.

Leontius Biza.
c. 10. contra Se-
uerum.
b. Psal. 134.
Math. 26.
Marci 7. 14.
Lucæ 2. 22.
Philip. 2.
Hebræ. 2. &c.
Constan. 2. c. 7.
Martinus 1. in
suis decretis Sy-
nod. c. 9. Vide
Epistolam Aga-
thonis receptā
in 6. Synodo
ubi citat.

23 Quod profecto Monothelitæ minimè nega- uissent, si Philosophiæ præceptionibus mediocri- ter saltem fuissent instructi. Nam ratione naturali perspicuum est, essentielles seu naturales proprie- tates ac operationes, non ex personæ, sed ex natura seu formæ unitate & distinctione, unitatem & distinctionem sortiri. Id quod super naturali quoque Trinitatis exemplo aperte confirmari potest, ubi propter naturæ unitatem, una essentialis

Ambr. August.
Dion. Areo
Leonem 1. Gre-
go. Naz. Atha.
Gregori Nyse.
Chryso. Cyril.
Hila. &c.

Con Tolet. 6. c.
1. Tolet. 11. in
protesti fidei.
Aug 1. de Trin
c. 4.
Dama lib. 3. c. 4.
Gregorius Ny-
se. tomo 5. con-
tra Eunomi.

proprietas unacq̄ operatio in tribus illis sacrosan-
ctis personis reperitur, secundum illud Theologi-
cum axioma : Opera Trinitatis ad extra sunt in-
diuisa .

24 Atq̄ hinc rursus manifestum euadit, de neu-
tra in Christo natura alterius proprietates dici pos-
se, manet enim inconfusa in Christo tam carnis,
quàm diuinitatis proprietatum contemplatio, cum
utraq̄ natura absq̄ ulla confusione, mixtione aut
conuersione proprietates suas distinctas omnino
incolumescq̄ retinuerit.

25 Quapropter sicut humanitas, diuinissima
hac unione diuinam naturam non reddidit infir-
mam : ita nec natura diuina humanitatem omni-
potentem effecit, cum nec forma serui, Dei for-
mam in Christo ademerit, nec forma Dei formam
serui minuerit, ut D. Leo eleganter dixit.

Epistola ad Fla-
uanum in
Chalcedo. Sy-
nod recepta
quæ eiusdem
est cum Syno-
do 13ta auiho-
rnat. Synod.
Eph. Anathe.
4. &c.

26 Verum quamuis post admirandam hanc
unionem duæ in Christo naturæ earumq̄ propri-
etates, distinctæ impermixtæq̄ perstiterint : ta-
men, quoniam una est persona Christi in illis dua-
bus naturis subsistens, eidem Christo uelut uni ei-
demq̄ personæ ascribimus uoces omnes tam di-
uinas quam humanas, quæ uel in Euangelicis, uel
Apostolicis scripturis, uel in Patrum monumen-
tis passim reperiuntur : tametsi inter se pugnare
uideantur, & reuera pugnent, propter natura-
rum quas concernunt, diuersitatem.

Conf. Hispal.
2. c. 13.

27 Et hæc ipsa personæ unitas, in causa est, ut
quæ

quæ Dei sunt propria, sæpe in scripturis ascriban-
tur homini: ea uerò quæ carnis sunt propria, attri-
buantur Deo.

28 Vnde non potest non aperte constare, quod
uere prorsus & Catholice unus & idem Christus,
Deus & homo dicatur, idemq; mortalis & im-
mortalis, Patri æqualis & minor Patre, Creator &
creatura, omnipotens & infirmus, ubiq; existens
& certo loco circumscriptus, æternus & in tem-
pore natus. Demum ob hanc eandem personæ
unitatem, & hominem Dei filium, Creatorem
etiam & omnipotentem: ediuerso uero Deum,
Virginis Filium, passum quoq; & crucifixum, re-
ctissime confitemur. Non enim interest (inquit
Leo) ex qua Christus substantia nominetur: cum
inseparabili manente unitate personæ, idem sit &
totus hominis filius propter carnem, & totus Dei
filius propter unam cum Patre deitatem.

Ambro. lib. 2.
de fide ad Gra.
Impe. c. 4.
Augu. 1. de
Trin. c. 7. Epi-
sto ad Darda-
num. Leo E-
pist. 95. Lyrin.
Damas. lib. 3.
c. 3. & 4. Cy-
ril. Ioan. 3.
Beda Ioan. 3.
Theophilac. &
Rupertus &c.
ibidem.

In Epistola ad
Palæstinos.

29 Quæ cum ita sint, non est Grammatica tan-
tum, seu uerbalis *ἰδιωματικὴ κοινωμία* in persona Chri-
sti: in natura uero, ne Grammatica quidem seu
uverbalis fieri potest. Siquidem uni & eidem Chri-
sti personæ, in qua naturæ sunt unitæ utriusq; na-
turæ attributa re ipsa conueniunt, cum eadem sit
hypostasis utriusq; naturæ: in neutra uero natu-
ra, alterius proprietates in sunt, sed nec inesse
queunt: cum neq; in natura, neq; in naturæ pro-
prietate aliqua, unio aut confusio facta fuerit, aut
etiam fieri possit.

idem qui sup.

B 3

Ac

30 Accuratè ergo obseruandum est, quæ nomina personam, & quæ naturam significant, ne ex uerbis aut malè prolatis, aut falsò intellectis, error in re tanta perniciosissimus fortè oriatur. Nam cum hæc naturarum unio in persona facta sit, non in natura, nominibus non naturam, sed personam significantibus perpetuò utendum est ad Idiomaticum communicationem.

31 Propterea enim enunciationes hæc ueræ sunt & catholicæ, homo est Deus, omnipotens, immortalis, impatibilis: Item, Deus est homo, infirmus, mortalis, patibilis: falsæ sunt itidem hæc, simul et hæreticæ: humanitas est Deus uel deitas: humanitas est omnipotēs, immortalis, impatibilis: Item, Deitas est homo, uel humanitas: Deitas est infirma, mortalis. Neq; id alia sanè ratione quàm quòd modò cōcretis modo abstractis utamur nominibus, quæ in concreto sumpta ὑπὸς αὐτῶν, in abstracto uerò ὁμοίᾳ significant, si ad uim & proprietatem sermonis attendamus. Vnde sic ait Damascenus: Diuinitatem dicentes, non de illa nominamus ea, quæ humanitatis sunt propria, neq; de carne, id est, humanitate prædicamus ea, quæ diuinitatis sunt propria. Non enim dicimus deitatem aut passibilem, aut creatam, neq; dicimus carnem, id est, humanitatem increatam. At uerò de ὑπὸς ἀσθενήσῃ siue ex utraq; siue ex una naturarum eam nominamus, utriusq; naturarum propria illi adiicimus. Hæc Damascenus.

lib. 3. cap. 4.

32 Cæterum licet uni & eidem Christi personæ,

næ, utriusq; naturæ proprietates & operationes, in-
diuise & inseparabiliter adscribantur, tamen (ut
rectè monet Leo) intelligendum est, & sincerae fi-
dei contemplatione cernendum, ad quæ proueha-
tur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur alti-
tudo diuinitatis. Enimuerò necesse est (teste
Cyrillo) reddere Deo quæ sunt Dei, & humanitas
ti, quæ ei debentur, & ne id, quod creatum est ad
diuinam deducentes essentiam, aut id, quod est
diuinæ naturæ, ad locum qui creaturis congruit,
deponentes, in aliquem incidamus errorem.

In Epistola ad
Leon. In. p.

citatur ab A-
nastasio Ar-
chie. Antioch.
in 6. Syno. a-
ctio 10.
g Cyr. 32 ser-
mone thesau-
rorum.

33 Non enim alio ex fonte Arrhius, Paulus Sa-
mosatenus, Photinus, & cæteri id genus hæretici
suos hauserunt errores, quàm ex præpostera
peruersaq; eorum intelligentia, quæ in Scripturis
sacris Christo attribuuntur: quòd nescierunt
aut noluerunt inter ea secernere, quæ ratione di-
uinitatis, & quæ ratione humanitatis, de uno eo-
demq; Christo passim dicta leguntur. Hinc Atha-
nasius cõtra Arrhium scribens: Vtriusq; igitur na-
turæ opus (inquit) noscentes & utraq; ab una
persona agi uidentes, rectè credemus, & nunquam
errabimus. Nec aliud ferè idem beatus Pater con-
tendit, quàm ut prædicta discretio inter Christi
attributa conuenienter adhibeatur. Huc etiam il-
lud S. Ambrosij spectat: Seruemus (inquit) dis-
tinctionem diuinitatis & carnis: unus in utraq;
loquitur Dei Filius, quia in eodem utraq; natura
est; & si idem loquitur, non uno semper loquitur
modo:

Aug. serm 166.

lib. 4.

In disput. con-
tra Arrhium.

lib. 2. de fide ad
Gra. Im. ca. 4.

In sermone de
Filio .

lib. 1. de Trini-
tate c. 33.

lib. 1. de Trini.
c. 7.

1. ad Cor. c. 15.
1. de Trin. ca. 11.

modo: intende in eo nunc gloriam Dei, nunc ho-
minis passiones, quia quasi Deus, loquitur quæ
sunt diuina, quia Verbum est: quasi homo, dicit
quæ sunt humana, quia in mea substantia loque-
batur. Sic quoque Grego. Nazian. ijs uerbis ad-
monet: Vno autem capitulo moneo, ut altiora
quidem adscribas diuinitati, humiliora autem na-
turæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis
nostræ assumpta est. Nec dissentit his D. August.
dicens: Distinguiamus, quid in Scripturis sonet, se-
cundum formam Dei, & quid, secundum for-
mam serui. Quid autem, & propter quid, & quid
secundum quid, dicatur, prudens & diligens &
pius Lector intelliget. Et ibidem. Non itaque imme-
rito scriptura utrumque dicit: & æqualem Patri Fi-
lium, & Patrem maiorem Filio: illud enim pro-
pter formam Dei, hoc autem propter formam
serui, sine ulla confusione intelligitur.

34 Et hic locum habet regula catholicæ fidei,
cuius Beda post Augustinum meminit: Cùm ali-
qua in Scripturis dicuntur de Filio, quibus de-
monstratur quòd Patre sit minor, ea secundum
humanitatem intelligantur. Cùm uerò ea dicun-
tur, quibus Filius Patri demonstratur, æqualis, se-
cundum quod Deus est accipiantur, nec aliter fa-
ciliè Patres omnes docuere.

35 Ex quibus omnibus manifestè deducitur,
eos grauissimè errare, naturarumque proprietates
confundere, qui contra Patrum omnium defini-
tionem

tionem & consuetudinem, uel humana diuinitati
adscribunt, uel humanitati diuina.

36 Superest ut concludamus ex superioribus
genuinam, sanam & orthodoxam de Maiestate
hominis Christi sententiam, quæ breuiter in eo
consistit. Dominum nostrum Iesum Christum, in
forma Dei, æqualem esse cum Patre, imò eandem ^{Phil. 2.}
omnino gloriam, Maiestatem, potentiam, sapien-
tiam, &c. sicut & *ὁμοίων* communem habere, eadem-
que Maiestate & prouidentia, qua Patrem, rebus ^{Sapient. 8.}
omnibus & singulis, etiam minimis *ὁμοίως* præ-
sentem adesse. Sic Catholici credimus, & ingenuè
profitemur. Vnde Ambrosius ait, : Eadem uerbi
gloria, eadem Patris gloria est, sicut scriptum est : <sup>lib 2 ad Gra-
tianum cap. 4.
Phil. 2. cap.</sup>
Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.
Ita igitur secundum diuinitatem, Dei Filius suam
gloriam habet, ut Patris & Filij una sit gloria. Non
est ergo minor in claritate, quia una gloria : non
minor in diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in
Christo est.

37 Addimus etiam, eundem Dominum no-
strum Iesum Christum, propter inexplicabilem ^{Ioan. 14.}
illam, & arcanam naturarum unionem, nulla ra-
tione secundum humanitatem diuinitati æqualem
euasisse : quin potius non sola essentia, sed etiam
gloria, Maiestate, potestate cæterisque attributis
omnibus & proprietatibus Deo minorem per-
mansisse : ut uniuersi Patres, diuinis scripturis in-
structi, unanimi consensu profitentur. Ita enim
C human

humana natura donis gratuitis in Christo exornata est, ut creaturae tamen limites nullatenus excesserit.

38 Non tamen hinc sequitur, in Christo Domino, nihilo plus dignitatis aut eminentiae, quam in quibusdam alijs hominibus inueniri. Nam inter diuinam illam altitudinem seu excellentiam, & eam dignitatem, quae communi hominum generi obtingere solet, singularis quaedam eminentia intercedit, quam soli Christo propter unionem illam hypostaticam, secundum humanitatem, ut par est, attribuimus.

Psal. 8.
Heb. 2.
Eph. 1.
1. Cor. 2.

39 Nec ea quidem ratione Christum, secundum naturam assumptam, redigimus in sanctorum angelorum aut beatorum hominum ordinem, ut eum illis ulla ex parte (quod ad dona gratuita attinet) adaequemus. Absit haec impia suspicio: quin illum singulari quadam gloria & honore coronatum, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & super omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, agnoscimus ac ueneramur.

1. Cor. 3.
Eph. 1.
Roma. 8.
Coloss. 1.
1. Timoth. 2.
Eph. 1.
Roma. 10.
Iacob. 4.
Acto. 11.
Ioan. 1.

40 Nam solus is est primarium fundamentum, Caput omnis Ecclesiae, Primogenitus in multis fratribus, in omnibus primatum tenens, Mediator Dei & hominum, in quo instaurata ac pacificata sunt omnia, siue quae in caelis, siue quae in terris existunt, Dominus omnium, Legislatores & iudex uiuorum & mortuorum. Et ne multis. Solus is
ita

ita plenus gratia, & ueritate, tantisq; Spiritus Esaiæ 11.
Lucæ 4.
sancti donis repletus, tanta Maiestate, gloria, po-
testate & autoritate cumulatus est, ut nulla gratia,
nulla ueritas, nullum Spiritus sancti donum, nec
maior maiestas, gloria, potestas, aut autoritas in
hac ipsa Christi humanitate, desiderari queat.

Quippe quæ affatim sortita sit, quæ natura finita,
qualis ipsa post personalem illam unionem per-
mansit, sortiri aut capere potest.

41 Quæ sanè dignitas, & incomparabilis emi-
nentia, quamuis ab immensa Dei celsitudine,
quàm longissimè distet, tamen in alia creatura nul-
la, quæcunq; tandem illa sit, locum ullum obtinet.

In cæteris enim, etsi gratiæ & Spiritus sancti dona
reperiuntur, non tamen coaceruatim & cumula- 1. Cor. 12.
Ephæ 4.
Ioan. 1.
tim, ut in Christo, sed diuisim, & iuxta mensuram
donationis Christi, de cuius plenitudine nos om-
nes accepimus.

42 Excellit igitur Christus secundum humani-
tatem Maiestate, potestate, gratia & gloria, cæte-
risq; donis gratuitis, creaturas omnes, & mirum in
modum excellit, sed manet nihilominus secun-
dum eandem humanitatem creaturæ limitibus cir- Iohan. 4.
2. Cor. 15.
cumscriptus, & minor Patre, eidemq; subiectus,
qui omnia ei dedit atq; subiecit.

43 Atq; hæc est omnis illa *ἐξουσία* in cælo & in Matth. 28
Ioan. 3.
Ephæ. 1.
terra, hic Spiritus non ad mensuram, hæc sessio ad
dexteram Patris, quæ Christo, quatenus homo
est, attribui sentiunt Orthodoxi.

C ij

Necq;

44 Neq̄ tamen negamus ex his iam allatis Scri-
pturæ locis, uel alijs similibus, æqualem cum Pa-
tre potestatem, Maiestatem, gloriam, aut quiduis
aliud diuinæ naturæ proprium Christo attribui
posse, & à quibusdam Patribus in explicatione
Scripturæ attributum esse: Sed abhibeatur neces-
se est, Catholicæ fidei regula, quam ijdem Patres
diligenter obseruant, ut istiusmodi omnia de
Christo secundum diuinitatem interpretemur, ne
perperam alioquin, quisquis diuinitatis propria,
humanæ naturæ admiscuerit, utriusq̄ naturæ pro-
prietates, cum Monothelitis confundat. Atq̄
hactenus si fortasse prolixè, at certè quidem non
inutiliter explicata sunt, quæ ad Christi
Maiestatem & gloriam ritè cogno-
scendam in primis confe-
runt.

THESES CONFUTA-
TORIAE AD IACOBI AN-
dreæ opiniones disiiciendas &
explodendas.

I:

Nunc ut alterum caput, quod in confutatio-
ne aduersariæ opinionis est positum, aggres-
diamur: Non potest sanè ullo modo constare,
quod quidam Tubingensis Theologus, nouis
Thesibus firmare & persuadere conatur, in qui-
bus

bus quid loquatur, aut de quibus affirmet, prorsus ille non intelligit, ut ex his, quæ in explicato^{1. Timoth. 1.}rijs Thesibus constituimus, satis constat, & iam iam clarius euincemus.

2 Definit personalem unionē, ut sit communi^{Thefi 20. 21. 24. 34.}catio plenitudinis omnis Deitatis. De hac, inquit, Apostolum ita loqui. In quo sunt omnes thesauri^{21.} sapientiæ & scientiæ absconditi: Et iterum: In ipso^{20.} inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Plenitudinem uerò diuinitatis uocat, totius præsentiae Dei secundum *ἐνέστυχον* in Christum effusionem, ita ut iam extra ipsum nihil, sed in homine, & per hominem Christum omnia in omnibus operetur. Et postea eandem diuinitatis plenitudinem appellat æqualitatem Maiestatis, gloriæ^{Thefi 89.} & potentiæ cum Verbo, ita ut humana in Christo^{Thefi 19.} natura, non iam potens tantum sit, sed etiam omnipotens, humana, inquam, natura, non sola diuina, propterea quod diuinitas realiter (ut ipsius uerbis nobis loqui liceat) suas proprietates humanitati communicauerit, suasque perfectiones in eam effuderit, & quasi transfuderit, & hac sola *ἰσῶματων κοινωνία* hypostaticam unionem definiendam esse docet. Igitur si mirabilem huius auctoris sententiam recipiamus, nihil erit aliud hypostatica seu personalis duarum naturarum in Christo unio, quàm quædam totius energiæ diuinæ in humanitatem effusio, aut quædam æqualis potentiæ, gloriæ & Maiestatis communicatio.^{The. 27.}

Thesi. 34.

3 His iactis porrò fundamentis, quæ sunt uerè putida, progreditur ad colligendam humanam Christi naturam, ex ui personalis illius unionis, eadem omnino Maiestate, qua diuinitatem, corporaliter ubiq; adesse præsentem. Vt omittamus alia eiusdem farinae deliramenta, quæ hic Tubingensis Theologus attexit postea, ut absurdum unum ex alio deducat.

Coloss. 2.
Thesi. 21.

4 Iam ad fabricandam hanc egregiam (si superis placet) personalis unionis doctrinam, nullius Concilij definitionem, nullius Patris sententiam, nullam rationem, autoritatem deniq; nullam, hic supercilij Artifex producit, sed uno tantum Scripturæ loco fraudulenter exposito, hoc phantasma suum adumbrare conatur, & non tam persuadere, quàm fidei articulum suo solius autoritate id efficiere sperat.

5 Verùm, ut simul & imperitia noua coarguatur, ostendemus istiusmodi potentiæ & Maiestatis unionem, aut plenitudinis diuinitatis communicationem, qualem ille fingit, minimè factam fuisse, imò ne fieri quidem ullo pacto potuisse. Tum ut concedamus factam illam fuisse, tamen eam nec personalem esse, nec ad personalem constituendam sufficere docebimus.

6 Quòd igitur humana in Christo natura parem aut eandem cum diuina potentiam, Maiestatem, gloriam, aut quamuis aliam perfectionem sortita non fuerit, ex eo manifestè constat, quòd
natus

naturæ post hypostaticam illam unionem, absq̃
ulla permixtione, confusione, aut conuersione,
proprietas suas saluas & distinctas retinuerint,
ut ex Concilijs & Patribus supra docuimus: ita ni-
mirum, ut nec humanitati, diuinæ proprietates:
nec diuinitati, humanæ adaptari queant. Id quod
nulla constare ratione posset, si diuina natura suas
proprietas humanitati communicasset, aut illas
in humanitatem effudisset & transfudisset. Id
enim alteri dicitur communicari, quod alteri com-
mune efficitur. Id autem quod duobus ex æquo
commune factum est, alterius proprietas dici non
potest. Vnde non aliud profecto sacris Conci-
lijs aut Patribus est, naturarum proprietates in
Christo confundere, (ut docti norunt) quàm uel
humanas ascribere diuinæ naturæ, uel ediuerso
diuinas humanæ, uel easdem utriq̃ attribuere,
quemadmodum iste palàm facit.

7 Hoc uerò incommodum hic Theologus
Tubingensis subodoratus, errori suo patrocini-
um aucupatur hac ratione. Cum (inquit) dicitur,
unionem duarum naturarum in Christo factam hypo-^{Th. 28.}
staticam, seruat^s utriusq̃ naturæ proprietatibus, so-
brie admodum intelligendum est & explicandum. Ne^{The. 34.}
que enim ita diuinitas Verbi sua energia, quæ ipsa est
simplicissima, sese intra se continet, ut nullam in natu-
ram humanam quasi transfundat perfectionem, quin
potius humanitas plenitudinis omnis particeps
diuinæ

In Theſibus ex
plicatorijs.

In Symb. expl
ad Dama.

lib. 3. c. 4.

diuinae naturae, duarum naturarum in Christo, hac sola
ἰδιωματικῶν κοινοῦν, Hypostatica unio definienda est. Hæc
ille, fidus scilicet & sobrius, admodum interpres,
qui lucem inferre uult uenerandis sanctorum Pa-
trum, & Conciliorum decretis: sed clariora illa
sunt, quàm ut aliena, & falsò emendicata luce indi-
geant, ut ex his, quæ suprâ copiosè citauimus, satis
constat: Quod si adhuc plura & clariora desideras
testimonia, quæ ex diametro cum huius Nouato-
ris doctrina pugnent, audi Hieronymum sic lo-
quentem: illorum quoque similiter execramur blas-
phemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à
tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant deitatis
in hominem demigrasse, & rursus quæ erant
humanitatis in Deum esse transfusa, ut quod nul-
la unquam hæresis dicere ausa est, uideatur hac
confusione, utraq; exinanita substãtia, Deitatis sic-
licet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse
commutata: Hactenus ille. Audi iterum Damasce:
Diuinitatem, inquit, dicentes, non, de illa no-
minamus, quæ humanitatis sunt propria: neque de
carne, id est, humanitate prædicamus ea, quæ Dei-
tatis sunt propria. Hæc Damasce. Sic quoque reli-
qui Patres loquuntur.

8 Quod ut clarius intuearis, adde. Quòd si una
eademque in Christi Domini humanitate & diui-
nitate potentia constituitur, una etiam constitui-
enda erit operatio. Rursus, si diuina natura suas
proprietates & attributa in humanitatem effudit
aut trans-

aut transfudit (ut iste somniat) sequetur & illud
necessario, ut unum communemq; utriusq; natu- Thefi. 17. 19.
ræ intellectum & uoluntatem defendamus, cum
hæc ad naturales diuinæ essentiæ proprietates
pertineant, & unum & idem omnino cum omni-
potentia existant.

9 Quare huius sententia hac in parte non mo-
do falsa est, uerumetiam damnatam Monothelita-
rum hæresin sapit, cum utriusq; naturæ propieta-
tes atq; operationes in Christo confundat impiè.
Atq; hinc forsan accidit, ut cum aliarum priscarū,
& iam olim profligatarum hæresum in suis Thesi- The. 1. 3. 22. 25.
bus meminerit, nullam tamen omnino Monothe-
litarum fecerit mentionem.

10 Quod autem uult diuinitatem per proprie-
tatum suarum seu perfectionum communicatio-
nem, effusionem, aut quasi transfusionem, humanæ
naturæ esse coniunctā: Quid est hoc aliud tandē,
quàm affirmare humanitatem in una aliqua, uel in
omnibus diuinæ naturæ perfectionibus, quæ tri-
bus personis communes sunt, diuinitati esse con-
iunctam?

11 Hic illi opponimus Oecumenica Concilia & Ephe. 4.
Constan. 86.
orthodoxos patres, quorum est una eademq; sem-
per in hac re sententia, ex diuinarum scripturarū
autoritate pendens, nimirum naturarū in Christo
unionem, non secundum essentialem aliquam di-
uinitatis perfectionem, toti trinitati communem,
sed secundum subsistentiam, quæ uerbo pro-
pria

D

pria est (ut ante quoque non semel meminimus) factam esse.

Thest. 2.

Thest. 26. 27.

12 Et quis inter Christianos adeo sit rudis rerumque omnium ignarus, qui creaturam ullam, quantum talibet excellentia præditam, omnipotentem esse statuatur: aut in gloria & Maiestate, aut in quacunque alia perfectione eam exæquet creatori? Facit hoc tamen Tubingensis Theologus, dum humanam Christi naturam, quam creaturam esse fatetur, non solum in omnipotentia, sed etiam in gloria, sapientia, Maiestate & autoritate, Patri Deo audet exæquare.

Gene. 1.

Exod. 15.

Psal. 61. 80.

Esa. 43. 43. 45.

1. Timoth. 6.

Symb. Apostol.

Athan. Niceno.

Const. Ephes.

&c.

13 Nec intelligit, in quacunque tandem partem sese proripuerit, se captum & comprehensum teneri, ut elabi non possit, quin hac sua *καὶ τοῦ θεοῦ* concedere constringatur, duas esse naturas omnipotentes: duos item creatores: Creaturam ipsam, creatorem esse, & omnipotentem: Denique creatorem quendam recentem, & novum in tempore factum esse. Verum hæc omnia, cum expressis sacrae scripturae testimonijs, cum Apostolorum, & Conciliorum Symbolis, & cum perpetuo totius Ecclesiae consensu planè pugnant. Et ubi legas probatum ullum autorem, qui uel somniauerit alium, præter Deum, creatorem & omnipotentem esse?

Ioan. 1.

Ibidem

Colos. 1.

14 Quapropter pijs & mediocriter peritis rerum sacrarum persuasum id semper fuit, Christum secundum naturam diuinam, creatorem esse, & omnipotentem, per quem omnia facta sunt: At secundum huma-

humanitatem non creatorem esse, sed creaturam
non infinitæ uirtutis aut omnipotentem, sed infir-
mum, humilem, sitientem, esurientem, flentem,
tædio, pauro, sudori, tristitiæ, morti, alijsq; mise-
rijs, & afflictionibus humanis obnoxium, ut qui
uerè languores nostros ipse tulerit, & propter uis-
cera misericordiæ suæ dolores nostros in sua carne
portauerit, ut à Tyrannica dæmonis seruitute
nos liberaret: ut etiam per omnia fratribus assimi-
latus absq; peccato, infirmitatibus nostris compa-
ti posset, & eis qui tentantur auxiliari. Quæ om-
nia simul cum omnipotētia, cæterisq; diuinis per-
fectionibus in una natura existere neutiquam
possunt. Ex quibus proinde sancti Patres duas
Christi naturas colligebant.

Gal. 4.
Mar. 14.
Phil. 2.
Ioan. 4.
Matth. 4.
Ioan. 11.
Luc. 19.
Mar. 14.
Luc. 23.
Matt. 26.
Esa. 53.
Lucæ 1.
Heb. 4.
Ibidem 2.

15 Quod si Christus secundum humanitatem
potentia & cæteris naturæ diuinæ perfectioni-
bus, diuinitati æqualis est, iam neq; Patri usq; ad
mortē obediens, neq; Matri & Iosepho subditus
esse, neque sibi uel nobis mereri, neq; Mediator
Dei & hominum esse aut dici potuit. Siquidem
hæc & id genus similia, quæ in Scripturis passim
occurrunt, inæqualitatem sonant, non solum in
essentia, sed etiam in potentia, unde hæc opera
proficiscuntur.

Philip. 2.
Lucæ 2.
Heb. 2.
1. Timoth. 2.

16 Et quidem uel ex hoc solo apertè conuinci
potest, humanitatē Christi haud esse omnipotentem,
quòd plurima possit Deus, & ante ipsam eti-
am Christi humanitatem conditā potuerit & fece-
rit, quæ humanitas nulla ratione efficere potest,

D ij nec

nec unquam potuit. Etenim ut cætera innumera
omittamus, non potuit humanitas ipsa se fingere,
neque resuscitare, neque se nunc potest in nihilum re-
digere, non est igitur humanitas diuinæ naturæ
in potentia ullo pacto exæquanda.

2. Cor. 13.
Roma. 1.

17 Qui ergo cum Tubingensi Theologo errare nolint, Paulum ducem sequantur, & utrasque naturæ proprietates & operationes, ita distinguant, ut tribuant, humanitati quidem, infirmitatem: diuinitati uerò, uirtutem, in qua Christus Dominus prædestinatus est Filius Dei, Et sicut duas uoluntates, & duas itidem operationes, singulas in singulis naturis esse credunt cum Ecclesia: ita quoque duas uirtutes seu potentias, alteram infinitam in diuinitate, alteram finitam in humanitate, sine ulla permixtione, confusione, transfusione uel infusione cum eadem sancta & Apostolica Ecclesia simpliciter confiteantur.

Matth. 28.
Psal. 8.
Eph. 1.
Ioan. 3.

18 Abutitur autem quibusdam Scripturæ locis nouus iste Macarius, ut probet humanitatem potentia, autoritate, Maiestate, gloria, scientia & sapientia diuinitati æqualem esse. Tametsi enim largiamur illi, quòd in citatis locis aliqua cum Deo æqualitas Christi designetur, hinc tamen non sequitur illud, humanitatem diuinitati æqualem esse. Aliud enim est, si dicas (ut ante declarauimus) Christo omnem datam esse potestatem in cælo & in terra, aliud humanæ eius naturæ donationem eam factam fuisse. Nam personæ diuinæ, quæ

quæ Christi nomine significatur, omnipotentia & quæcunq̄ alia diuina perfectio uerè ascribi potest, creatæ uerò naturæ, qualis est Christi humanitas, non potest.

19 Certè si omne illud, quod uel in Scripturis sacris, uel in Patrum monumentis, quocunq̄ modo Christo ascribitur, humanitati Christi statim tribuatur, profectò & Catholicè affirmare licebit, humanitas Christi est Deus, increata, æterna, per quam omnia facta sunt, unum & idem cum Patre, splendor Patris, & figura substantiæ eius, quoniam hæc omnia de Christo uerissimè prædicantur.

Esaiæ 9.
Phil. 2.
Ioan. 1.
Ioan. 10.
Hebre. 1.

20 Impudentius uero & insulsius colligitur, Apostolus asserit plenitudinē diuinitatis in Christo corporaliter inhabitare, & omnes in eo thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos esse, igitur plenitudo diuinitatis, id est, æqualis gloria, Maiestas, sapientia & potentia, humanitati Christi est communicata, & in eam effusa, aut quasi transfusa: ita ut iam humanitas Christi, uerè sit & dicatur omnipotens, sicut ipse Deus, humana, inquam, natura, non sola diuina, æqualiq̄ gloria & Maiestate cum Deo ipso prædita.

Colof. 2.

Hunc locum
ad idem citat
probandum
Paulus Mono-
thelita.

21 Hic monendus est Lector, ut obseruet, personam Christi cum natura manifestè ab hoc Theologo confundi, quandoquidem ex eo, quòd quippiam in Christo esse dicitur, concludit id ipsum quoq̄ in eius humanitate statui oportere.

22 Deinde, ut fingamus Apostolum dixisse,
D iij pleni

plenitudinem diuinitatis in humanitate Christi corporaliter inhabitare, omnesque thesauros sapientiae & scientiae diuinae in eadem humanitate reconditos latere, quod à diuo Paulo dictum non est, tametsi Catholicè id affirmari posse nouerimus, cum tota & plena diuinitas humanitati personaliter sit unita, & in ea lateat abscondita. Cæterum falso inde colligitur, ergo æqualis Maiestas, sapientia & potentia &c. humanitati Christi est communicata, ita ut humanitas dicatur omnipotens, quemadmodum Deus. Eodem enim argumentationis genere deduceretur, Deitatem naturæ humanæ communicatam esse, ita ut humanitas Deus uerè dici possit, sicut omnipotens: cum uerissimè asseueretur, diuinitatem ipsam in humanitate Christi corporaliter inhabitare. Præsertim cum nihil sit aliud Deitatis plenitudo, quàm Deitas plena atque perfecta.

23 Adde, quod cum anima rationalis in corpore humano corporaliter inhabitet, non solum hypostatica unione illi coniuncta, sed etiam essentiali: si huius autoris explicationem sequimur, integrum erit inferre, animam cum omnibus suis facultatibus & affectionibus, ad eum modum corpori communicatam esse, ut corpus, perinde atque anima intelligens sit & uolens, arte Mathematica & Medica, cæterisque scientiis præditum. Quis autem nisi stultus id fateatur?

24 Imò uero cum domos corporaliter inhabitemus

temus, sequetur etiam nos illis ita communicatos esse, ut eisdem proprietatibus & perfectionibus domus affectæ dicantur, quibus nos ipsi affecti sumus. Qualis ergo est autoris huius explicatio, qua pro eodem inhabitationis & communicationis nomen audet usurpare?

25 Nec obstat, quòd aliter diuinitas in humanitate habitet, nimirum hypostaticè cum illa coniuncta. Nam licet id uerum sit, non ideo tamen consequitur, idem esse, aliquid in altero corporaliter inhabitare, & illi communicatum aut hypostaticè coniunctum esse. Vnde Cyrillus sic ait: Neque idem fuerit dicere, Verbum factum fuisse hominem, & putare, Deum habitare in homine, etiam si, ut est, uera beati Pauli uox est, quod completum in ipso habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Sed unum inquit esse Deum Patrem & Filium Dominum Iesum Christum, per quem omnia. Et hinc est quod Nestorius, qui hypostaticam diuinitatis cum humanitate unionem reijciebat, libenter eo testimonio uteretur, quòd uideret aliud esse, aliquid in altero inhabitare, & illi hypostaticos coniunctum esse.

Contra Theodoretum Nestorianum.

Coloss. 2.

1. Cor. 7. 8.

Iob 4.

26 Quocunq; ergo modo hic interpretetur scripturæ testimonia, siue de persona, siue de natura Christi, nullum inde firmum satis præsidium petere poterit, cum utrouis modo accepta, longe quidem aliter explicari debeant, & à Patribus secus explicentur, quàm ab hoc autore intelliguntur.

Nec

Thesi. 15.

27 Nec tamen ideo, quod diuinitas proprietates suas humanæ naturæ non communicauerit, consequens est, Grammaticam tantum seu uerbalem idiomatum diuinæ naturæ communicationem in persona Christi fieri, ut hic homo inferre conatur, eadem enim omnino ratione conuinceretur, idiomatum humanæ naturæ communicationem, cum persona diuina nullatenus esse factam. Nam ut fides orthodoxa docet, & Tubingensis Theologus quoque apertè confitetur, humana Christi natura proprietates suas diuinæ naturæ nullo pacto communicauit.

Thesi 19.

28 Sicut ergo Deus dicitur hominis Filius, infirmus, crucifixus, mortuus & sepultus &c. propter naturam humanam sibi personaliter unitam: ita etiam homo Christus, Dei Filius appellatur, omnipotens, æternus, immortalis &c. non propter aliquam effusionem aut transfusionem, sed propter inconfusam unionem, qua humana natura cum diuinitate coniuncta est in unitate personæ.

29 Dicet aliquis inter idiomatum diuinorum & humanorum communicationem multum interesse discriminis: quoniam diuina non solum uoce, sed etiam re ipsa de humana natura dicuntur, humana uero idiomata, non re sed uoce tantum diuinitati ascribuntur, id quod haud obscure quidam & ille hisce uerbis subindicat. *Diligenter uerò discernendum est, inter idiomata humanæ naturæ, quæ propter unionem personalem diuinæ tribuuntur & idio*

idiomata diuinæ naturæ, quæ propter eandem vnionem
humanae ascribuntur. Humanitas enim diuinitatem non
assumpsit, sed ipsa assumpta est à diuinitate in vnitas
tem personæ, quam infirmam reddere non potest: etsi
verè & rectè dicitur persona, quæ Deus & homo est,
laborare & mori. Cùm econtra humanitas à diuinitate
perficiatur, quæ realiter suas proprietates humanitati
cōmunicat, vt sit non modo viua, sed viuificatrix quoq;
non potens tantum, sed etiam omnipotens: humana in-
quam natura non sola diuina. Hæc ille insignis scilicet
disputator.

30 Primùm hic explicandum erat apertius, de
persona, an de natura loquatur, nam utranq; pas-
sim more suo confundit, & utriusq; uocabulis cis-
tra ullum delectum abutitur. Quòd si de natura
loquatur, ut sanè loqui uidetur, non minus falsum
est, quod ait, diuinas proprietates humanæ natu-
ræ realiter esse communicatas, quàm ediuerso,
communicatas esse humanas diuinæ naturæ, ut ex
his, quæ antea diximus, liquido constat: etenim
nec uoce, nec re ipsa unius naturæ proprietates al-
teri conueniunt, nec de altera dici queunt. Nec
minus repugnat, humanam naturam diuinis af-
fici proprietatibus, quàm diuinitatem humanis in-
firmitatibus obnoxiam fieri.

31 Si uerò de persona differit, ut ibidem quoq;
facit, dum inquit: *Etsi verè & rectè dicitur persona
quæ Deus & homo est, laborari & mori: non minus
& id falsum est, scilicet idiomata humana, uoce*

E

duntas

duntaxat, non re ipsa, de persona, quæ reuera di-
uina & humana est, affirmari, cum uni eidemq;
personæ utriusq; naturæ attributa re ipsa conueni-
ant. Quod autem fieri nequeat, ut uoce & non
re ipsa humana idiomata de persona Verbi enun-
cientur, id ex peruulgato illo Philosophi dicto
clare intelligitur: Ab eo, quod res est, uel non est,
oratio dicitur uera uel falsa. Vnde omnibus
compertum est non posse aliquid uoce de altero
affirmari, si res ipsa aliter habeat, quam uoce signi-
ficetur.

32 ^{sup} Ex eo uerò, quod humanitas diuinitatem
non assumpserit, sed ipsa assumpta sit à diuinitate
in unitatem personæ, & diuinitas infirmari neque-
at, humanitas autem à diuinitate perficiatur: ne-
quaquam sequitur, ipsam Verbi personam, infir-
mitates humanas non sustinuisse, aut humanā na-
turam æquè perfectam esse, atq; diuinam; sed hoc
tantum hinc inferri potest: nihil imperfectionis
ex ea unione diuinitatem accepisse, humanitati
uerò maximam accessisse perfectionem, qua par-
ticeps, non æqualis effecta est diuinæ naturæ, ut
D. Basilius his uerbis docet: Humana Domini car-
ro, ipsa participauit deitate, non propriam debilita-
tatem diuinitati distribuit.

33 ^{sup} Vnde, quod ad naturas ipsas attinet, rectè
quidem hoc discrimen statui potest, quod ex hy-
postatica diuinitatis cum humanitate unione, ni-
hil omnino imperfectionis diuinæ obtigerit natu-
ræ, hu

Concione de
Natiuit.

ræ, humanæ uero magna quædam & singularis
excellencia obuenerit. Sed interim hæc perfectio,
quæ ex unione illa humanæ accessit naturæ, non
est idioma diuinum, sed humanum, non quidem
naturale, sed gratuitum.

34 Quantum uerò spectat ad idiomatum com-
municationem in persona, citra ullum omnino dis-
crimen, & diuina homini, & humana Deo, tan-
quam uni & eidem personæ, in diuina & huma-
na natura subsistenti, non uoce tantum, sed & re
ipsa rectissimè attribuuntur, cum una reuera sit
Dei & hominis persona. At uero idiomata di-
uina neq; uoce, neq; re ipsa naturæ, humanæ pos-
sunt ascribi, sicut nec humana diuinæ, quòd, secun-
dum sacrorum Conciliorum sanctiones & Patrū
traditionem, naturæ semper distinctæ & permix-
tæ cum suis proprietatibus permanserint.

35 Nunc uide obsecro huius Theologi impe-
ritiam impiam, & impietatem imperitam, qui
dum nouum quoddam & hæctenus inauditum
discrimen comminiscitur, ab omni Christiana ue-
ritate in re tanta discedit. Nam attributa diuina
palàm humanæ ascribit naturæ, ediuerso uero
humana non reuera, sed uoce solùm diuinæ perso-
næ accommodat.

36 Iam illud est expediendum, & seruata qui-
dem methodo: huiusmodi maiestatis, potentia,
sapientia communicationem, quam iste confingit,
ne fieri quidem potuisse. Primum enim certissimū

E ij est,

In proſpho-
neti
co ad Theodo-
ſium .

est, nullius omnino proprietatem, in alteram na-
turam seu speciem transferri posse. Etenim ut eru-
ditè Cyrillus dixit, & ratio ipsa dictat: Quorum
operatio & uirtus indifferenter una est, ijs necesse
est speciei unitatem seruare. Quis enim diceret
aptitudinem ad disciplinas capiendas, ad riden-
dum, ad ratiocinandum, quæ hominis propria, la-
pidi aut trunco infundi posse? Multò minus uerò
diuina proprietates, quæ infinita est, naturæ finitæ &
creatæ poterit communicari, cùm in confesso sit,
quòd res finita certisq; terminis conclusa, rem infi-
nitam & immensam intra se capere nequeat.

The. 31.

27 Ad hæc cum Dei potentia, sicut & scientia,
& quælibet eius perfectio, ipsissima & simplicissi-
ma eius sit essentia, ut etiam ultro aduersarius fate-
tur, euidenti & necessaria collectione efficitur, si
diuina omnipotentia &c. humanæ naturæ fuerit
communicata, quemadmodum ille somniat, ipsis-
simam quoq; & simplicissimam Dei essentiam
eidem naturæ humanæ fuisse communicatam; ita
ut humanitas sit facta Deus, sicut omnipotens.

38 Præterea cùm idem hic ἐξουσία, potentia, glo-
ria, & Maiestate, humanitatem, diuinitati exæ-
quet, fateri uel inuitus debet, δύσις quoq; essentia,
natura atq; substantia, humanam Christi naturam
diuinitati æqualem esse; cùm hæc omnia in Deo
sint una eademq; simplicissima Deitatis natura.

39 Hinc quoq; colligitur, idem prorsus esse, si
dicas, diuinitatem realiter suas proprietates huma-
nitas

nitati communicasse, ita ut diuinitæ naturæ propri-
etates de illa uerè prædicentur, ac si dicas, diuinitas
semetipsam humanitati communicasse, ita ut
ipsa diuina natura de humana affirmetur: & unio-
nem proinde duarum naturarum in Christo, non
in persona, sed etiam in natura factam esse.

40 Nec aliud esse potest, humanam naturam
omnipotentem euasisse, quàm creaturam esse
transmutatam in creatorem ac Deum, quod nec
fieri, nec intelligi ulla ratione potest, cum nec
Deitas in humanitatem, nec humanitas in Deitas
tem conuerti queat aut commutari.

Psal. 109.
Malach. 3.
Heb. 1.

41 Quæ cum ita sese habeant, non potest hic ad-
uersarius, quicquid etiam garriat, à damnata Euty-
chianorum hæresi excusari, qui duas Christi natu-
ras impiè iuxta ac imperitè confundebant, nam,
ut ostendimus, diuinas in Christo proprietates,
quas tamen prorsus idem cum ipsa diuina essentia
esse fatetur, cum humana natura manifestè con-
fundit atq; permiscet.

42 Quod cum nouus hic Eutyches quadante-
nus animaduertisset, & absurdus à se dictum
nonnihil mitigare uellet, hæc uerba inseruit.
*Neq; verò hac reali plenitudinis omnis diuinitatis com-
municatione, natura humana cum diuina miscetur, aut,
sicut quibusdam videtur, planè aboletur, sed quod diuinæ
per essentiam est, id humanæ suo modo per accidens com-
municatur.* Quibus quidem uerbis non sanat hic
homo, sed aperit magis & pestilentio rem red-

The. 22.

E iij

dit

dit morbum animi sui, nouasq; euomit absurditates, tantum abest, ut diluat obiectum argumentum.

43 Nam si illa plenitudinis diuinitatis communicatio per accidens est, ut loquitur, sequitur unionem hypostaticam, quæ secundum Eutylichiani huius sententiam, in illa plenitudinis communicatione sita est, per accidens esse. Verum id falso asseri, inde colligas licet, quod hac ratione fieret, ut Christus Deus esset per accidens & ipsa quoq; diuinitatis plenitudo accidens, quod dam esset, & reliquæ etiam diuinæ perfectiones, quæ cum plenitudine diuinitatis idem prorsus existunt, accidentia quædam haberentur. Sed hæc tam impie quàm absurdè affirmari, nemo sanæ mentis dubitare potest.

44 Iam uerò ut ad illud quoq; progrediamur, licet hæc Maiestatis, potestatis, autoritatis & gloriæ unio fieri aliquo modo potuisset, aut etiam re ipsa facta foret, ita ut in ea sola, non in essentia, duæ in Christo naturæ unitæ fuissent, tamen hypostaticam unionem non efficeret.

In Theſibus
explicatorijs.

45 Nam ut supra multis ostendimus, Patres omnes constanter asseuerant, unionem hypostaticam esse unionem in subsistentia, non in aliqua essentiali proprietate toti Trinitati communi: Idiomatum uero communicationem in persona, unionem illa personali naturæ ordine posteriorem esse, eamq; iam factam necessariò consequi. Ideo enim dicunt

dicunt utriusque naturae idiomata de una eademque persona Christi affirmari, quia illae duae naturae in una Christi persona sunt unitae: quod profecto constare non posset, si ipsamet idiomatum communicatio personalem efficeret unionem.

46 Quod autem sola illa potestatis & Maiestatis communicatio, qualem iste fingit, ad hypostaticam unionem non sufficiat, docet Ephes: Synodus in haec uerba. Non potest unire naturas (de unione hypostatica loquitur) sola dignitatis aut potestatis aequalitas. Et rursus: Dicere Deum & hominem sibi inuicem uelut dignitatis & autoritatis unitate coniunctos, nouitas uocis est, & nihil aliud. Sic illa Synodus. Epistola ad Nestorium.

47 Quae res ut per similitudinem illustretur, si forte Princeps aliquis, quocumque modo in Maiestate, potestate & autoritate alteri sit aequalis, non inde consequitur, utrumque Principem in eandem coaluisse personam, sicut nec ideo duo Apostoli, quod exemplum Synodus eadem in rem praesentem adducit una persona dici possunt, quod pariter fuerint potestatis, autoritatis, aut dignitatis. In Epist ad Nestor.

48 Quod si Paulo credimus, Christus sua obedientia usque ad mortem, humanitatis suae exaltationem promeruit & Maiestatem. At si Maiestatis communicatio hypostaticam perficeret unionem, fieret sane, ut sua passione suam quoque cum diuinitate, promeruisset unionem: quod ridiculum est asserere. Philip. 2.
Heb. 2.

Imo

49 Imò cum Christi corpus ante resurrectionem non fuerit gloriosum, sed patibile, & mortale: manifeste sequitur, antequam Christus resurgeret, sacratissimum eius corpus diuinitati hypostaticè unitum non fuisse, siquidem ut hic homo uult, in gloriæ & Maiestatis communicatione unio hypostatica consistit.

50 Præterea, si in illius potestatis & Maiestatis communicatione, hypostatica Christi unio constituitur, non poterit ulla ratione Deus naturam aliquam in persona sibi copulare, quin eiusmodi potestatem &c. ei impartiat. Quod sanè nemo admittet, nisi qui diuinam omnipotentiam ignoret, & quid hypostatica unio sit, plane non intelligat. Constat enim corpus Christi etiam in triduo, cum iam rationali animo esset destitutum, hypostaticos diuinitati coniunctum fuisse, quod tamen gloriæ, potestatis, Maiestatis, sapientiæ, & scientiæ diuinæ capax minimè fuisse, nullus, nisi qui ratione caruerit, ambigere poterit.

51 Iam si hic autor putat, corpus aliquod, præsertim animæ rationalis expers, omnes aut aliquas diuinas perfectiones capere posse: insignis sanè cuiusdam inscitæ notam euadere nequit. Sin uerò eas capere non posse censuerit, ut res ipsa habet, illud euitare non poterit, quin asserat corpus Christi, præsertim in triduo, Diuinitati unitum haud quaquam remansisse, imò nec remanere potuisse. Sed id falsum esse & hæreticum, Theologus nullus ignorat.

Ad

52 Ad hæc, cum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non modò æqualis, sed unius planè & eiusdem sint potestatis, Maiestatis, autoritatis & gloriæ, cum etiam eadem prorsus diuinitatis plenitudo in tribus illis personis reperiatur, si potestatis &c. unitas, æqualitas, aut *κοινωνία* unam personam constitueret, ut hic uanè fingit, non iam tres, sed unam tantùm hypostasim in Deo esse, cum impio Sabellio, fateri prorsus cogeremur.

53 Præterea cum potestas Diuina & reliqua attributa omnia, in tribus illis diuinis personis unū & idem omnino existant, ex eodem illo principio apertè deduceretur, Patrem & Spiritum sanctum æq̃ incarnatos ac passos esse atq̃ Filium, si quidem unio facta sit in re toti trinitati ex æquo communi.

54 Quam absurditatem cum Sabellius effugere non posset, hoc suæ Sectæ nomen promeruit, ut ipsius sectatores omnes, Patripassiani appellarentur. Quamobrem cùm hic etiam Autor suo commento in Sabellij se hæresin præcipitet, non uideamus, quo pacto Patripassiani nomen effugere queat.

55 Postremò, unionem illam potestatis, Maiestatis &c. hypostaticam neutiquam esse, in ipso Trinitatis mysterio clarè conspicitur. Etenim tres illæ diuinæ Personæ in potestate quidem, Maiestate, & reliquis perfectionibus quàm maximè sunt unitæ, totamq̃ deitatis plenitudinem habent, cùm nihominus inter se uerè & personaliter sint manentq̃ distinctæ.

F Igitur

56 Igitur sola potestatis, uirtutis, aut Maiestatis communicatio, quæcunq̄ tandem illa sit, hypostaticam unionē efficere nulla ratione potest. Quod ex eo etiam apertè deducitur, quòd potestatis, uirtutis, aut Maiestatis, in genere consideratae, communicatio, ad id non sufficiat: cùm potestas, uirtus & Maiestas nihil minus quàm hypostasim significant.

Anathematif. 3

57 Vnde in Ephesina Synodo Nestorius condemnatus est, quòd hac sola Maiestatis, honoris, & potestatis seu uirtutis communicatione duas Christi naturas uniret, duasq̄ proinde personas, ac totidem filios in Christo constitueret. Verba porro Synodi sic habent: Si quis in uno Christo diuidit subsistentias post unionem, sola societate coniungens ea, quæ secundum dignitatem est, uel etiam auctoritatem aut potestatem, & non magis conuentu qui per unitatem factus est, naturalem, anathema sit. In quinta etiam Synodo generali hæc ipsa Nestorij hæresis hisce uerbis damnatur. Si quis dicit secundum gratiam, uel secundum operationem, uel secundum dignitatem, uel secundum æqualitatem honoris, uel secundum auctoritatem aut relationem aut effectum, aut uirtutem, unionem Dei Verbi ad hominem factam esse &c. anathema sit.

58 Dubium iam ex his nulli esse potest, Tubingensē Theologum insignem esse Nestorianū, cùm nullam aliam Dei & hominis in Christo unionem agno-

agnoscat, quàm eam, quæ Maiestatis autoritatis,
potestatis, uirtutis seu energiæ communicatione,
aut effusione efficitur, ut his ipse uerbis diserte
confitetur. *Nec imaginanda (inquit) aut fingenda est
alia Dei in Christo, quam in creaturis reliquis omnibus,*
quo ad $\theta\upsilon\sigma\iota\omega\upsilon$ *, diuinitatis præsentia. Quæ ut in creaturis*
ἐν ὁμοιότητι *discernitur, quòd alia in alijs agat, & operetur,*
ita in Christum tota effunditur, ut iam extra ipsum ni-
hil, sed in homine & per hominem Christum omnia in
omnibus operetur. Atq; hæc est communicatio plenitu-
dinis omnis deitatis, de qua idem Apostolus loquitur:
In quo inquit, sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ
Dei absconditi. Et iterum: In ipso inhabitat omnis ple-
nitudo diuinitatis corporaliter. Hactenus ille, apertis-
simè Nestorizans, nisi quòd in eo hebetior & Ne-
storio imperitior uideri potest, quòd nesciat eam
solam coniunctionem, ad illam $\pi\rho\sigma\sigma\omega\pi\iota\kappa\lambda\omega\ \epsilon\nu\omega\sigma\iota\upsilon$ *ef-*
ficiendam, non sufficere, id quod neuti-quam igno-
rabat Nestorius.

59 Iudicent ergo æqui & boni omnes de hoc
Nestoriano, & animaduertant quæso, qua fronte
audeat Maiestatem hominis Christi, non solum
obscurare, uerum etiam utriq; Christi naturæ,
quàm plurimum derogare: Humanæ quidem,
quia sola uirtutis seu potestatis, & nescio qua Ma-
iestatis unione, quam ipse fingit, eam cum Verbo
coniungit. Diuinæ uero naturæ non minus detra-
hit, quia humanitatem $\epsilon\zeta\upsilon\sigma\iota\alpha$, potentia, gloria atq;
Maiestate, diuinitati hic ineptus censor exæquat.

F ij Tum,

Thesi. 20.

Similes loquen-
di formulæ
passim in actis
Synodi Ephes.
à Nestorianis
uturpatæ le-
guntur.

Thesi 21.

Tum, utriusque naturæ simul in hoc maximam uim irrogat & iniuriam, quòd eas earumque proprietates infulsè permiscet, atque confundit.

In Præfatione.

60 Grauius adhuc peccat & à sacrilegij crimine defendi non potest, qui ad hæc sua perniciofa tantaque impietate referta aliaque plura insana dogmata confirmanda, non ueretur sacræ legis uerba furari. Sic ab initio, ut alijs ueritatis & antiquitatis ignaris facilius imponeret, quædam Vincentij Lyrinensis uerba, suis præfixit Thesisibus. Tum non minus impudenter quàm arroganter ausus est polliceri eam se doctrinam repetiturum, sincereque declaraturum, quam nobis Prophetæ, Apostoli, primitiue Ecclesiæ Patres, Martyres & Confessores tradiderunt. At in progressu nullum ex his omnibus suorum dogmatum profert comprobatores, cuius se patrocinio tueatur. Hoc demum est sinceram ueritatis & Euangelij doctrinam uindicare.

61 Quid multa? Si uolumus noua huius Veteratoris impiaque figmenta inter se aliquo pacto cohærere, illud etiam admittamus oportet, ut ueteres & olim damnatæ hæreses, quamuis inter se maximè disiunctæ atque dissectæ, in orbem ueluti postliminio reuocentur, & uelut ab ipsius Orci faucibus iterum resuscitentur.

62 Etenim, ut manifestè conuicimus, hic Theologus in Christo cum Monothelitis proprietates confundit: cum Eutychete naturas in una essentia coniungit; cum Nestorio personas distinguit ac
separat



separat: cum Sabellio, Patripassiano Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in persona unit, totamque, ut sic dicamus, incarnat Trinitatem.

63 Nec opus est ulla hic noua censura aut condemnatione, iudicarunt de hac causa celeberrimæ Synodi, & pronunciarunt anathema his omnibus, qui ueterum impietatum essent cum Tubingensi Theologo propagatores aut sectatores.

Constan. 1. 2. 3.
Eph. 1.
Chalced.

64 Nec potest hic Autor, ut omnium harum hæresium notam euadat, ad illud perfugium se recipere, quod initio dixerit, se duas naturas personaliter in Christo unitas agnoscere, cum postea illud ipsum suo modo interpretatus, damnatis illorum hæresiarcharum opinionibus aperte suffragetur. Neque enim satis est (ut Ephesina Synodus testatur) fidem uoce duntaxat confiteri, nisi rectè quoque eam interpretaris.

LECTORI S.

AMABILIS RES EST VERITAS. Itaque etiam in hoste ad se allicit studiosos huius. Etsi igitur Iesuitarum Secta, quæ sit scimus, quam sicut Christiani nominis pudet, ita Ecclesiam Christi superstitionibus & idolis complet, & ueram doctrinam de merito filii Dei, & alia multa capita huius scelerate corrumpit ac deprauat, & membra Christi exilio ac cæde persequitur: sus

F iij

pra

pra tamen expressis propositionibus quidam ex familia illa Esauitarum ita breuiter, disertè, distinctè, itaq̃ rectè ac benè doctrinam de unione personali duarum naturarum in Christo, & communicatione Idiomatum comprehendere & exponere studuerunt, ut boni publici causa denuo apud nos exprimendas censuerimus, quo in Ecclesia orthodoxa extent hæc capita ante oculos eorum, qui discunt doctrinam Ecclesiæ, tanquam tabella, & in promptu sit formula sanorum uerborum, qua de his rebus ex uerbo Dei & consensu antiquitatis piæ ac orthodoxæ utendum est, quamq̃ monstris illis, & abhorrentibus, uel ut planè, & uere dicamus, impijs & blasphemis nouorum Eutycharum commentis discentes opponere possint. Quicumq̃ igitur sint autores harum propositionū, quod illi uere & orthodoxe scripserunt libenter accipimus, eorūq̃ labore fruimur. Quia enim uerum dixerunt, de suo non sunt locuti: sicut cum Diaboli Christum filium Dei esse proclamant in historia Euangelica, de suo non loquuntur. Valebit etiā hæc editio eò, ut plus suppeditetur occasionum hostibus nostris Flacianis, & horum similibus, obtrectādi nobis, quod Iesuitarum scriptū recudi patimur, utq̃ concilietur hæc uoluptas generi maledico & Epichærecaco, quibus sicut diabolis, epulum sunt calamitates hominum. Sed filius Dei uenit, ut destruat opera diaboli, cui uero Deo & ^{σπ} nos & nostra pijs precibus assidue commendamus.

IOHANNES SCHVVERTE.

lius iussu Rectoris Academiae exprimebat

VVitebergæ prid. Calend.


Iulij.

Anno M. D. LXXI.



10. JAHRE. SCHNEEFERTE.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.

Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.



Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.

Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.
Im Jahr 1711. Schnees. 1711.

Aug VI 48


ULB Halle 3
002 720 54X



TA → 2e







DISPUTATIO e)
DE MAIESTATE
HOMINIS CHRIS-
TI,

IN ACADEMIA INGOLSTAD-
diana per Theses explicata, aduersus IACO-
BI ANDREAE Theses, de hac eadem
hominis Christi Maiestate, Tubingæ
propositas publiceque de-
fensas.



INGOLSTADII,
Calendis Iulij.

Salutis Anno M. D. LXIII.

